PA 6207
.D6 K5
Copy 1

DE

L. APULEJI MADAURENSIS LIBRO,

QUI INSCRIBITUR DE PHILOSOPHIA MORALI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
AUCTORITATE ATQUE CONSENSU
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HUGO DE KLEIST
SCHAKAULACKENSIS.

81459

FLENSBURGI.
TYPIS LUDOLFI MAASS.
MDCCCLXXIV.

PA6207
.I6K5

De L. Apuleji Madaurensis libro, qui inscribitur de philosophia morali.

Philosophiae scripta memoriae nostrae L. Apuleji nomine tradita in eorum numero habenda sunt, in quibus, quamquam auctores eorum Academicorum scholae se addictos profitentur, permulta ex aliorum philosophorum doctrinis decerpta invenimus, et quae nonnunquam novorum Platonicorum, qui dicuntur, decreta jam cognatione quadam attingunt. Est enim Apulejus eis Academicis adjungendus, qui quum ἐκλεκτικῶς decreta et Stoicorum et Peripateticorum et Phythagoreorum novorum conjungerent doctrinam hoc modo comparatam Platoni auctori imputaverunt. Imprimis autem Pythagoreorum n. decretis, quorum nonnulla apud Apulejum reperimus, factum est, ut philosophia ejus jam non longe a Platonicorum novorum disciplina abhorrere videatur.

Haec autem sunt philosophiae scripta, quorum auctor Apulejus habendus est:

1. liber, qui de mundo inscribitur, ex Graeco libro (περὶ κόσμου) versus, qui non recte Aristotelius habebatur,
2. liber de deo Socratis,
3. liber de dogmate Platonis inscriptus, qui liber summam philosophiae Apuleji continet.

Quartum librum, qui inscribitur Asclepius sive dialogus Hermetis Trismegisti, non ad Apulejum referendum esse, pluribus ex causis constat.

Nobis autem de tertio illo libro, ex quo optime intelligitur, cui philosophandi generi Apulejus addictus fuerit, accuratius agere propositum est. Inscribitur de dogmate Platonis. Dividitur in libros tres, quorum primus physicam,

alter ethicam, tertius dialecticam continet, ita ut tres hujus operis partes cum notissima illa philosophiae totius partitione congruant, quam Apulejus in primo horum librorum a Platone ipso profectam esse contendit. Atque in primo quidem libro physicam philosophiae partem continente plurima ex Platonis scriptis repetita sunt, imprimis ex Timaeo dialogo. Alia debentur Pythagoreis n., imprimis ea, quae de omnium rerum principiis et de numinibus medioxumis proferuntur. Haec et quae Apulejus in commentatione de deo Socratis inscripta de *δαιμόνων* natura exposuit, gravissima eorum videntur decreta, quae ei et cum Pythagoreis et cum Platonicis novis communia sunt.

De tertio libro, qui inscribitur de philosophia rationali sive *περὶ ἑρμηνείας* [1]) Prantlius in historia logicae accuratius egit, ex cujus commentatione liquet, decreta Stoicorum et Peripateticorum in illo libro permixta esse. Ceterum ex Graeco quodam compendio in Latinum sermonem versus esse videtur.

Secundus liber ethicam continens adhuc non pari diligentia pertractatus est. Patet autem, cur operae pretium sit, in hunc quoque librum accuratius inquirere. Non enim solum ex hujus libri diligentiore perscrutatione nonnulla ad genus et philosophandi et scribendi Apuleji proprium melius cognoscendum esse redundatura arbitramur. Quamquam hanc quoque causam operae non indignam existimo et aliqua me enucleaturum esse spero, quibus ea, quae de Apulejo jam comperta sunt, vel confirmantur vel quodammodo augentur. Sed quia illo libro quamquam multa ei communia sunt cum fragmentis et Pythagoreorum et Academicorum novorum, quae adhuc restant, alia non pauciora continentur, quae a ceterorum decretis plane abhorrent et omnino nova videntur, quia porro Apulejum hic quoque non suis viribus nisum esse sed pleraque aliunde repetivisse quum

---

[1]) In mss. optimis hic liber *περὶ ἑρμηνείας* inscribitur. Ceteri libri inscriptione singulari carent. Liceat autem nobis eis titulis uti, qui et in veteribus editionibus extant et ipsis Apuleji verbis, quibus exponit, de qua re agere sibi propositum sit, comprobantur.

ex universo ejus scribendi genere tum ex hujus libri institutione suspicari licet, eis, quae hoc libro continentur, clarius perspectis non Apuleji solius doctrinam sed sectae totius alicujus, quae inter Academicos illius temporis extiterit, perspecturus esse mihi visus sum. Quare non inutile arbitrabar, hunc quoque librum ita fere percensere, quomodo tertius totius operis liber a Prantlio pertractatus est.

Universa autem opera nostra in triplici quaestione consumitur. Primum enim quae hoc libro continentur pluribus explicabimus et de partium compositione et de doctrinae totius institutione judicabimus, deinde singula decreta percensebimus et ad primos eorum auctores referemus, id quod editores adhuc ant neglexerunt ant parum accurate susceperunt, denique hanc doctrinam cum aliis ejusdem sectae comparabimus et conjectura assequi conabimur, qua ratione Apulejus in hoc libro conscribendo versatus sit.

Caput I.

§ 1.

Ac primum quidem ad hujus libri doctrinam expediendam jam accedentes quaestione haud facili implicamur. Tanta est Apuleji in diversis partibus discernendis neglegentia, tanta in sententiis exprimendis obscuritas, tanta in vocabulorum usu inconstantia, tam contorta et inepta diversissimarum doctrinarum conjunctio. Accedit, quod in ipsis illis partibus, quae, quum magis continentes sint, intellectu faciliores videntur, parum dilucide ab Apulejo demonstratur, qua ratione sententiae inter se conjungendae sint, ita ut saepius, quid explicandum esset, a scriptore ipso non recte perspectum esse suspiceris. Vix veram ethicae alicujus doctrinae expositionem sed potius foedam et indigestam sententiarum inter se discrepantium enumerationem ante oculos habere videaris. Attamen conandum est cogitatione assequi, quo consilio opus illud elaboratum sit,

qua opera fungi non possemus, si non statim aliquae partes, quarum et ratio et dispositio facilius intelligitur, a ceteris secerni possent.

Has autem partes continentes statim distinguimus:

1. expositionem duorum rhetoricae generum,
2. ea, quae de culpabilibus viris,
3. quae de perfecte sapiente,
4. quae de civitatum constitutione afferuntur.

Ac facile intelligimus, unde decreta his partibus exposita repetita sint.

Patet autem, eam partem, qua de civitatum constitutione agitur, a ceteris segregandam esse. Verum altera et tertia illarum partium conjungendae videntur inter se et cum minore alia eis interposita, qua de hominibus medie moratis, quorum vita neque honesta neque omnino turpis et mala sit, agitur. Itaque ex his tribus partibus inter se conjunctis majorem aliquam partem totius libri constituemus, quae per se constet et a ceteris discreta sit. Restat pars de duabus rhetoricis conscripta, quae tamquam excursus eis adnectitur, quae de justitia exponuntur. Haec autem cum ceteris, quae de virtutibus leguntur, conjungenda videntur, quae ipsa connexa sunt cum descriptione vitiorum et medietatum, quae inter virtutes et vitia intercedere dicuntur. Itaque jam tertiam libri totius partem repperisse videmur, qua de medietatibus, vitiis, virtutibus agitur. Sed ne haec quidem per se perfecta et absoluta videntur. Libro enim ineunte omnia bona enumerantur, quorum una pars in virtutibus consistat, et virtutum explicationi adjunguntur nonnulla de ceteris bonis i. e. de bonis corporis et fortunae. Exponitur etiam, quantum singula bonorum genera ad beatitudinem conferant, et adduntur nonnulla de voluptate, amicitia, amore. Quae omnia inter se continentia unam totius libri partem conficiunt, cui praecedit libri initium, quo hujus i. e. primae partis summa continetur et philosophiae moralis caput esse contenditur, ut sciatur, quibus ad beatam vitam perveniri rationibus possit. Itaque tres totius libri partes assecuti sumus, quarum in prima agitur

1. de bonis,

2. altera de culpabilibus viris, de medie moratis, de perfecte sapiente,

3. tertia de civitatum constitutione.

Neque rejicienda videtur haec totius libri dispositio, quia adhuc non intelligitur, quid sibi velint hae tres partes, qua ratione inter se connexae sint. Jam enim licebit singulas partes percensere et uniuscujusque decreta exponere, qua quaestione absoluta, quum partes singulas accuratius cognoverimus, fortasse totius quoque libri rationem facilius intelligemus.

§ 2.

Ineunte hoc libro, quem Faustino, adolescenti cuidam, dedicavit, bonorum finem esse beatitudinem, moralis philosophiae caput, ut sciamus, qua ratione beatitudinem assequi possimus, contendit Apulejus. De qua re quid Plato senserit, se hic expositurum esse. Sequuntur duae bonorum divisiones, quorum prima hac ratione instituta est:

1. prima bona esse deum summum mentemque (*νοῦν*),[1])

2. secunda bona fieri per perceptionem[2]), ex priorum fonte profluere. Haec bona esse animi virtutes, prudentiam, justitiam, pudicitiam, fortitudinem. Etiam ordo quidam harum virtutum exponitur, in quo secundum locum continentia obtinet. Itaque jam hic summam deprehendimus Apuleji inconstantiam, qua neque ordinem neque vocabulum certum retinet. Sequitur altera divisio, hoc modo: Differentiam hanc bonorum a Platone constitutam esse:

1. divina per se, prima, simplicia bona esse virtutes animi,

---

[1]) Saepius Apulejus Latino nomini adjunxit ipsum illud Graecum, quod Latino exprimere voluit. Nos Graeca illa nomina, ubicumque obtigerint, uncis inclusa ascribemus.

[2]) Sententiae explicandae causa ab editoribus *κατὰ μέθεξιν* vel per participationem adnotatum est.

2. humana, eademque quorundam tantum, non omnium esse

a. ea, quae cum corporis commodis congruant,

b. ea, quae nominemus externa.

Quaeremus fortasse, quaenam sit ratio harum duarum divisionum. Patet enim, boni notionem aliam esse in priore, aliam in altera, quia partes utraeque non sunt eaedem. Attamen ullo verbo Ap. significavit, quaenam boni notio in altera divisione intelligenda sit, quaenam ratio inter priorem et alteram notionem intercedat. Ceterum saepius similia in hoc libro pervestigando deprehendemus. Sequuntur nonnulla parum dilucida de ratione, qua homines utroque bonorum genere utantur, de diversa horum generum „potestate.“ Bona enim humana non omnibus esse similiter bona. Varias esse hominum naturas; non omnes ad verum bonum aspirare posse, itaque ad humana converti, quae eorum usum ignorantibus oporteat esse mala. Ceterum hominem ab stirpe ipsa neque bonum neque malum sed ad utrumque proclivem esse, ita ut eruditionis sit boni semina corroborare. Exsistere autem tria genera ingeniorum, egregium, pessimum, modice temperatum, in quorum primo insint virtutes, altero vitia, tertio medietas quaedam ex utrisque permixta. Deinde de his tribus animorum condicionibus pluribus exponitur.

Ac medietates quidem hoc modo explicantur: Habemus

1. eam medietatem, quae inter scientiam veram et falsam intercedat. Ceterum locus depravatus est, ita ut vix possit intelligi, quae sit sententia,

2. inter pudicitiam libidinosamque vitam abstinentiam et temperantiam,

3. inter fortitudinem et timorem pudorem et ignaviam.

Vitia autem sive malitias (κακίας) exsistere, cum pars animi rationem continens ceteris iram et libidinem complectentibus inserviat. Tenendum est, hic primum de partibus animi et recta earum potestate mentionem fieri. Constare malitiam de abundantia inopiaque, non solum disparilitatem sed etiam inconcinnitatem prae se gerere;

neque enim posse eam cum bonitate congruere, quae a semet ipsa tot modis discrepet.[1]) Tres animae partes tribus urgeri vitiis:

1. prudentiam (nomen virtutis imponitur ei animae parti, cujus propria est haec virtus) urgeri indocibilitate, cujus duae sint species,
   a. imperitia, sapientiae inimica,
   b. fatuitas, prudentiae,
2. iracundiam audacia eamque sequi
   a. indignationem,
   b. incommobilitatem (ἀοργησίαν),
3. cupiditatibus applicari luxuriam; ex ea autem manare
   a. avaritiam, quae liberalitatem[2]) coërceat,
   b. lasciviam, quae immoderatius fundendo patrimonium prodigat.

Postremo virtutes describuntur. Virtutem esse optimae mentis habitum, qui eum, cui sit intimata, concordem et constantem reddat, dictis et factis secum et cum ceteris congruentem; exsistere virtutem, quum ratio in regni sui solio constituta sit, esse unimodam, perfectam, solitudine contentam, non solum aequalitatem (sic enim emendanda mss. patet, quae „qualitas“ exhibent) sed similitudinem cum ea conjungi. Medietates autem esse quasdam virtutes, quia careant abundantia et egestate et quia in meditullio quodam vitiorum sitae sint (adjungitur: easdemque summitates vocat); fortitudinem quippe hinc audacia, inde timiditate circumsisti (male congruunt haec vitia cum eis, quae supra ex redundantia et egestate oriri dicta sunt). Tunc virtutes in perfectas et imperfectas dividuntur, quarum perfectae et ingenio et disciplina provenire, imperfectae aut beneficio solo naturae aut disciplina tradi dicuntur. Sequitur alia divisio ex animae partitione repetita, et suo more in dubio relinquit Ap., qua

---

[1]) Repetimus enim hoc loco simpliciter Apuleji verba, quamvis obscura videantur. Infra sententiam expedire conabimur.

[2]) Suspicabimur ex hoc quidem loco, liberalitatem esse illam virtutem in tertia parte sitam.

ratione hac divisiones inter se conjungendae sint. Habemus igitur in altera divisione

1. illam virtutem, quae ratione est nixa, id est
   a. sapientiam, disciplinam divinarum humanarumque rerum,
   b. prudentiam, scientiam intelligendorum bonorum et malorum eorumque, quae media dicuntur,
2. deinde fortitudinem,
3. tum abstinentiam, de qua quid Ap. afferre velit, equidem non intelligo,
4. postremo justitiam.[1])

Quae sequuntur depravata sunt. Haec esse videtur sententia: non unius partis esse justitiam sed omnium et tunc exsistere, quum una quaeque portio scientiae ad munus perpetrandum obediat. Dividi hanc virtutem in benevolentiam et justitiam. Tunc jam de alia justitia agitur, quae quartum vulgatae divisionis locum obtineat; neque docemur, quaenam diversitas inter has duas justitias intercedat. Dividitur haec secunda justitia in religiositatem (ὁσιότητα) et justitiam, hominum societatis remedium atque medicinam. Quae justitia, ut ea, quae Ap. copiosius quam planius explicat, brevius exprimam, iterum dividitur in alteram, quae in commutatione, alteram, quae in distributione exsistat. Cum justitia distributionem recte administrante conjungitur rhetorica bona, justi tenax, cui contraria sit alia rhetorica, adulandi scientia, ἄλογος τριβή, quae persuasum velit, quod docere non valeat (δύναμις τοῦ τὰ ψευδῆ πιθανὰ δοκεῖν). Primam rhetoricam etiam civilitatis vocabulo nuncupari, alteram esse civilis particulae umbram. Deinde pluribus de his rhetoricae generibus agitur hoc modo:

---

[1]) Taedet Ap. in nominum usu inconstantiam, quae summa est in toto hoc capite, iterum atque iterum reprehendere. Facillime enim quivis, si medietatum, vitiorum, virtutum expositiones inter se comparare velit, pravam earum in hac quoque re discrepantiam animadvertat.

1. civilitatem (*πολιτικήν*) esse ex virtutum numero, omnem fortunatum et beatum civitatis statum ea effici, dividi in

a. legalem, corporis exercitationi similem,

b. et juridicialem, medicinae parem;

2. adulandi scientiam dividi

a. in sophisticam, quae imitetur juridicialem statum, sicut coquina medicinam,

b. in professionem juris blandam, quae imitetur scientiam juris, sicut unguentaria exercitationem.

Quae sequuntur, adeo sunt implicata et tortuosa, ut vix possint intelligi; nescio an hoc modo hujus loci sententia recte exponatur:

1. Sapientia et prudentia, quia ad rationabilem animae partem pertinent, doceri possunt itaque pro disciplinis habentur.

2. Etiam fortitudo et continentia rationabiles sunt, (id quod Graece fortasse *λόγου μετέχουσαι* dictum esset). Sunt autem

a. aut perfectae et disciplinae appellantur,[1])

b. aut imperfectae ac tunc quidem neque disciplinae neque omnino disciplinis alienae putandae.

3. Justitia ars vivendi ac disciplina putatur, nunc docilis est, nunc usu et experiendo provenit (patet, hoc alterum decretum ei justitiae, quae ex trinis animae regionibus sparsa sit, male convenire).

Virtutibus, vitiis, medietatibus hoc modo pertractatis jam nova omnium bonorum divisione monemur, etiam aliorum bonorum praeter virtutis esse rationem habendam. Neque omnino cum illa bonorum divisione, quae libro ineunte legitur, haec congruere videtur:

1. Bonorum quaedam sui gratia appetenda — ut beatitudo, bonum gandium,

---

[1]) Sic enim locus corruptus sanandus videtur, ut verbis: „ceteras, si perfectae sunt, virtutes appellat“ adjungatur „disciplinas“.

2. alia non sui gratia — ut medicina,

3. alia et sui et alterius, id est beatitudinis — ut virtutes.

Simili pacto mala quoque dividuntur; facile autem intelligimus, bona ex beatitudine quasi ex communi fonte, mala ex miseria repetita esse eodemque esse referenda.

Sequitur ea divisio, quam jam supra cognovimus. Sed in dubio manet, utrum hae duae divisiones conjungendae sint aliqua ratione an separandae, una rejicienda, altera tenenda. Certe si in secunda divisione ea, quae appetenda sunt, enumerantur, constat, omnia bona esse appetenda; at caret secunda divisio uno genere eorum bonorum, quae in prima afferuntur. Itaque patet, aliam esse notionem, de qua in altera agitur divisione, aliam, de qua in priore; neque ullo modo haec notionum diversitas ab Apulejo significatur.

Sequentibus verbis agitur primum de eis, quae absolute bona et absolute mala dicuntur, deinde de altero illo bonorum et malorum genere. Ac de primo bonorum et malorum genere haec discimus:

1. virtus est
   a. libera, in nobis sita,
   b. voluntate appetenda;
2. peccata sunt
   a. libera, in nobis sita,
   b. voluntate non suscipiuntur.

Aptius fortasse dictum esset: necesse est, voluntate rejiciantur, sicut necesse est virtutes voluntate appetantur. Exponitur enim pluribus, virtutes ut absolute bona unicuique, dummodo eas absolute bonas et utiles esse intellexerit, esse appetendas, non secus ac vitia ut absolute mala aspernanda. Errore igitur decepti et imagine boni sollicitati ad mala praecipitamur.[1])

Alterum bonorum et malorum genus non simpliciter bonum malumve esse, quia utraque usu vel utilia vel noxia fiant.

---

[1]) Patet, mss. lectionem, quae: „sciens ad mala praecipitatur“ exhibent, pravam esse; „nesciens“ potius loci sententiae convenire videtur.

Sequntur alia de voluptate et de sollicitudine et labore, quae voluptati contraria sunt. Neque sollicitudinem neque voluptatem bonum malumve esse, eis enim rebus, quibus utraque efficiatur, utramque fieri aut bonum aut malum. Deinde obscuris verbis medius quidam status attingitur, qui hic quidem non solum primis bonis malisque sed etiam secundis id est externis interponi videtur. Neque magis perspicua videntur, quae tum de amicitia et inimicitia, denique de tribus amoris generibus proferuntur. Amicitiam enim consensu consistere, ex similitudine morum provenire, inimicitiarum vitia gigni ex malevolentia per morum dissimilitudinem. Etiam alia esse amicitiae genera; esse enim

1. amicitias quasdam necessitatis causa — naturae congruas,

2. alias voluptatis causa, animarum calamitates, non amicitiae sed amoris vocabulo nuncupandas.

Tum autem — incredibile dictu — tres amores Platone auctore enumerantur, quorum primus sit divinus, alter degeneris animi, tertius ex utroque permixtus. Sagaciores expediant, qua ratione haec eis, quae supra dicta sunt, consonent.

§ 3.

Jam transeamus ad alteram totius libri partem, qua de hominum moribus agitur, et tria ingeniorum genera describuntur.

Primum est culpabilium virorum, qui dividuntur

a. in honoripetas,
b. abstemios,[1])
c. populares,
d. tyrannum.

Exsistere dicit mores vitiosos, quum eae animae partes, quae obedire debeant, fiant superiores. At, si tres sunt animae partes, hac ratione duo tantum malitiae genera effici patet. Certe ex Ap. verbis nemo intelliget, quomodo quat-

---

[1]) Fortasse substituendum: abstinentes.

tuor vitae pejoris formae nascantur. Pluribus tyrannica dominatio (τυραννίς) describitur.[1]) Tyrannum non modo a ceteris verum etiam a se discrepare, neque modo omnibus aliis sed etiam sibi inimicum esse. In agendis rebus propter inscientiam et inconstantiam nunquam eum ea impetrare posse, quae velit. Omnes animi affectus, eos quoque, quos natura non respuat, ut voluptatem, amorem, alias, in eo esse pessimos, perniciosos, quia omni modo careat, semper ei desit aliquid ant redundet. Imprimis amorem ejus omni modo esse corruptum non solum propter effrenatam et inexplebilem cupiditatem sed etiam propter perversum formae judicium, quo non vera corporis vigentis pulcritudo sed enervis et fucatus decor ei concilietur. Neminem autem — sic enim pergit — sponte malitiae se dedere constat, quia is est miserrimus animi morbus. Idcirco melius est noceri quam nocere, puniri quam impune abire. Eos, quorum animae vitiis ita imbutae sunt, ut sapientiae medicina curari nequeant, mori praestat, ut optimi medici corporibus desperatis manus medentes non adhibent. Melius est, talem regi quam regere, servitium servire quam dominari. Mala ejus perpetuo augeri necesse est, quia, cum sperata et exoptata provenerunt, flagrantiores cupidinum furores succedunt.

Sed optimos et deterrimos paucos admodum esse et numerabiles, plures esse eos, qui quasi medie morati inter laudem vituperationemque mediam viam vadant. Hos in rebus capessendis nunc honestos et probos se praestare, nunc lucri causa inhonesta perpetrare. Amicitiam eorum non semper fidelem esse, amorem non semper honestum.

Postremo perfecte sapientis ingenium moresque pluribus describuntur. Quae hic exponuntur, omnia Platonis auctoritati ascribuntur. Sic antem ea brevi enumeratione adumbrare conamur:

1. Perfecte sapientem esse non posse, nisi qui ceteris ingenio praestet atque jam a puero quam accuratissime abstinentia, patientia, doctrina imbutus fuerit.

---

[1]) scilicet non ipsa dominatio, sed is homo, qui morum pravitate ad dominationem illam incitatur.

2. Eum, qui hac via progrediatur, repente fieri perfectum; perfectum autem esse quodammodo intemporalem.

3. Sapientem non aliunde pendere sed in sua manu esse; itaque

a. neque in secundis rebus efferri neque contrahi in adversis,

b. non modo non inferre sed ne referre quidem injuriam,

c. securum et confidentem in omni vita futurum esse,

d. diem mortis propitium, non invitum expectare.

Quae omnia suis singula rationibus confirmantur; extremo decreto adjungitur: sapientem de animae immortalitate confidere, ejus animam vinculis liberatam corporeis ad deos remigrare et deorum se condicioni conciliare;

4. sapientem esse bonum, prudentem, justum,

5. eundem fortissimum,

6. hunc solum divitem, et quia virtus omnibus opibus pretiosior sit, et quia sapiens solus opibus recte uti possit, ceteros videri inopes, egestatem enim non pecuniae absentia sed praesentia immoderatarum cupiditatum gigni;

7. philosophiam esse mortis affectum, consuetudinemque moriendi;

8. omnes bonos inter se amicos esse, etsi sint minus inter se noti; inter bonos solos fidem amicitiae constare;

9. cadere amorem in sapientem, sed non corpus a sapiente expeti, sed bonum ipsum adolescentis animae innatum, quod animi oculis videat.

10. Has ob causas sapientem vitam vivere honestam, laudis plenissimam et jucunditate atque securitate solum et semper frui, neque maerore affici ob carissimorum hominum mortem,

a. quia ex eo omnia sint apta, quae ad beatitudinem pergant,

b. quod decreto et lege rectae rationis interdicatur ejusmodi afflictatio,

c. quod qui se de tali causa discruciet, illam aegritudinem aut propter eum, qui sit mortuus, susci-

piat, quasi vitae commodis orbatus sit, ant sui causa, quod tali necessitudine doleat se privatum esse; at et emortuo illi melius futurum esse quam eidem vivo fuerit et sapientem nullius rei indigere posse; itaque sapientem nullo modo tristem futurum esse.[1])

11. Sapientiae finem esse, ut sapiens aemulatione vitae ad deorum similitudinem accedat. Sapientem esse oportere pedissequum et imitatorem deorum, id quod decreto illo: ἕπου θεῷ praescribatur,

a. dum vitam agat

α. in cognitione et contemplatione

β. et in agendi opera.

Deum enim ipsum omnia non solum cogitatione complecti sed etiam administrare quodammodo et regere. Ceterum beatitudinem et agendo et cogitando comparari, utriusque autem beatitudinis originem esse virtutem, quam qui possideat, nullis extrinsecus eorum, quae bona ducimus, adminiculis ad beatam vitam indigere.

b. Tunc quoque, quum corpus relinquat, sapientem diis digna facere. Non enim, quum mortem sibi consciscere non debeat, nisi necessario perpetiendum esse istud lex divina decreverit, invito deo eum corpus relicturum esse — quamvis certo sci at se his rebus relictis consecuturum esse meliora. Animam enim ejus immortalem fortunatorum habituram loca, deorum choreis semideumque permixtam.

§ 4.

Tertia pars, qua de civitatum constitutione agitur, bifariam divisa est[2]); primum enim optima civitas descri-

---

[1]) referimus simpliciter, quid argumenti habeat locus apud Apulejum, quamquam ordo rationum — id quod quivis animadvertere potest — nullo modo probabilis est.

[2]) Neque hoc loco neque supra prima parte finita ullo verbo significatur, jam ad aliam rem orationem transgredi. Jam inde patet, recte supra a nobis Ap. in partibus discernendis neglegentiam reprehensam esse.

bitur, quae ut figmentum quoddam veritatis per se composita sit, deinde alia juxta naturam praesentium rerum et convenarum facta. Haec sunt decreta, quae Plato de primae civitatis institutione praecepisse dicitur:

1. Quid sit respublica, pluribus exponitur. Rem publicam societatem esse hominum multorum, in quibus regentes sint alii, alii inferiores, concordia inter se copulatorum, eisdem legibus, eisdem moenibus utentium.

2. Suadendum esse rerum publicarum conditoribus, ut usque adeo augeant civitatem, ut eidem rectori noti omnes esse possint, neque inter se ipsi ignoti sint. Non enim habitantium multitudine sed virtute et omnium erga leges obsequio civitatis vires aestimandas esse.

3. Eas respublicas ratione esse conditas, quae ad instar animarum institutae sint, ita ut pars sapientia prudentiaque praecellens universam civitatem regat, juventus fortitudine praedita vigilet et militet, tertia desideriorum pars plebi et agricolis par sit, id est ei civitatis parti, quae ceterorum utilitati inserviat.

4. Sequuntur ea officia, quibus a prima et altera civitatis parte satisfaciendum sit:

a. is, qui imperitet, habeat sapientiae studium, aut is ad imperandum deligatur, quem sapientissimum esse constet,

b. iis, in quorum tutela sit res publica, auri et argenti cupiditas nulla sit. Verba, quae sequuntur, corrupta videntur.[1])

4. Matrimonia quoque

a. non privatim ineunda sed nuptiae a magistratibus publice concilientur,

b. id praecipue curantibus, ne dispares vel inter se dissimiles copulentur.

c. Nutrimenta puerorum statim permixta esse oportere, ita ut parentes ipsi liberos non agnoscant

---

[1]) Recta esset haec sententia: ue opes privatas milites sibi comparent et epulis communibus utantur.

itaque omnes, quos viderint, ejus aetatis suos existiment,

d. ipsorum connubiorum quaerendam tempestivam conjunctionem,

5. eos, qui de talibus nuptiis orti sint, publice optimis disciplinis erudiendos esse, non solum viros sed etiam feminas, quae omnibus artibus, quae propriae virorum putentur, instituendae sint, bellicis quoque;

6. ejusmodi civitatem regia prudentia administratam, talibus institutis et moribus ornatam alias leges non requirere.

Deinde altera illa civitas describitur hoc modo:

1. Matrimonia esse in ea privata et singularia; spectandum tamen principibus, ut vel opes diversae vel ingenia diversa communis commodi causa misceantur.

2. Liberos publice instituendos esse (hoc quidem decretum priore quodam loco affertur; hic legitur: instituendos eos esse, utcunque parentes censuerint).

3. Domos et possessiones habeant privatas.

4. Leges huic civitati esse promulgandas.

5. Imperitandi modum eum esse utilem, qui ex tribus formis sit temperatus, ita ut rectorum potestas cum imperio et optimatium et populi quodammodo sit conjuncta.

6. Quae civitas ut constituatur, conandum esse rectori et leges et mores et disciplinas, quae in aliqua republica valeant, emendare, ad meliorem partem convertere; quod si consilio et suadela impetrari non possit, severitate et vi utendum esse. In actuosa vero civitate omnia bonitatis et justitiae plena esse.

Leguntur in hac libri parte verba quaedam intellectu difficiliora, quibus fortasse medius quidam ipsarum civitatum status significatur. Certe non video, quam in aliam sententiam accipienda sint haec verba: Et alii publicarum rerum status definitivi ab eo putantur, nitentes ad bonos mores.

Postremo quattuor culpabilium civium vel civitatum genera enumerantur hoc modo:

1. unum esse eorum, qui sint honore praecipui, exsistens, cum prudentiores viri pellantur deferaturque potestas ad illos, qui manu sint strenui,

2. alterum paucorum oriens, quum multi inopes paucorum divitum imperio se dederint, omnemque regendi potestatem non mores boni sed opulentia fuerit consecuta,

3. tertium omnium, cum inops multitudo vires obtinuerit, lexque jussu populi fuerit promulgata,

4. quartum esse tyrannidem tunc nascentem, cum is, qui leges (i. e. leges secundi status) contumacia sua ruperit, simili adversus leges conjuratione in adoptatum imperium invaserit.

Caput II.

§ 1.

Argumento totius libri enarrato jam ad aliam quaestionem transeamus, quae necessaria videtur ad hujus libri cognitionem. Restat enim, ut perscrutemur, quidnam consilii in hac sententiarum congerie delitescat. Ac primum quidem ad tres illas, quas supra distinximus, partes redeundum videtur quaerendumque, quaenam earum inter se sit ratio, utrum his partibus constitutis jam dispositionem quandam totius libri consilio consentaneam assecuti simus necne. Patet autem, tertia parte explicari, quo modo bonum illud vel beatitudo nascatur in civitatibus, altera, quo modo in singulis. Primam autem partem ad eas condiciones explicandas, quae et in civitatibus et in singulis ad efficiendam beatitudinem necessariae sint, destinatam esse, jam hinc suspicari licet. Quod quum ita sit, jam dispositionum quoque similitudo quaedam in partibus illis consequens esse videtur, et quia in prima et altera parte non solum bonum illud describitur sed etiam malum et medium, recte mihi supra conjecisse videor, verbis illis parum dilucidis, quae in tertia parte leguntur, mediam quandam rerum publicarum formam significari. Quod si ita est, partium singularum dispositiones satis bene inter se consentire videntur, quoniam in prima parte agitur de mediis, malis, bonis, in altera de culpabilibus, medie moratis, perfecte sapiente, in tertia de bona civitate, cujus quidem duo genera statuuntur, de media, de culpabilibus. Neque si ordo

in omnibus partibus non idem retinetur, ob hanc causam similitudinem illam esse in eis negabimus. Sufficit enim, rationem ipsam partitionis esse conservatam, etiamsi ordo commutatus est. Acquiescamus igitur in hac libri dispositione, quae et ob argumentorum diversitatem et ob partitionum similitudinem recta existimanda sit. [1])

§ 2.

Hac quaestione absoluta ad singulas partes indagandas transimus, ut breviter demonstretur, quid quoque loco Apulejus peccasse videatur.

Atque ex eis, quae supra exposita sunt, jam apparebit, prima parte summam argumenti ceterarumque dispositionem quodammodo jam contineri, primae autem partis ipsius summam in bonorum et vitutum descriptione positam esse. Accuratius igitur divisiones illae, quarum et principium et ratio saepe obscura videbantur, pertractandae, ut totius libri institutio clarius perspiciatur. Ac primum quidem hanc legimus bonorum divisionem:

1. deum et mentem esse bona prima, per se,

2. virtutes esse bona per perceptionem, eademque divina, quibuscum non comparanda sint

3. humana bona vel ea, quae sint corporis et fortunae.

Itaque secundum hanc sententiam summum bonum deus habendus erit vel illa boni idea, quam Plato idem esse ac deum voluit. At hic non deum solum sed deum et mentem habemus, neque facile intelligitur, quas partes mens illa in hac quidem ethica philosophiae parte agere debeat. Deinde, id quod jam supra commemoravimus, vituperanda foeda in virtutum enumeratione inconstantia, quoniam neque certus ordo neque certa nomina retinentur. Denique quum virtutes ob id solum bona per perceptionem et divina nominentur, quia virtus boni ideam imitatur vel summi boni notionis particeps habetur, jam patet, omnes virtutes in unam quandam

---

[1]) Licet hinc intelligere, illam ethicae partitionem, qua rencentiores scriptores in Academicorum ethica exponenda utuntur, jam in antiquis scholis usitatam fuisse.

universam virtutem, illius ideae imitatricem, coalescere, itaque illis virtutibus ut divinis bonis vel absolute bonis non simpliciter complura absolute mala opponi posse, sed fortasse unum malum statuendum fuisse, ad quod a summa virtute per nonnullos gradus descendatur; neque certum est, quae sit ratio inter haec divina bona et illa humana vel inter humana bona et summum bonum, id est boni ideam.

Alterum bona hoc modo dividuntur:

1. Beatitudo est bonum sui causa expetendum,

2. virtutes et sui et alterius causa,

3. alia bona non sui sed alterius causa expetuntur, quorum in numero fortasse etiam humana illa bona habenda.

Jam summi boni locum non boni idea sed beatitudo obtinet ut unicum bonum, quod quivis semper sui ipsius causa neque unquam alterius causa expetat, nec mirum, quod ob hanc principii diversitatem ceterorum bonorum explicatio quodammodo immutatur. Simpliciter enim ea enucleanda erant, quae vel multum vel minus ad finem illum bonorum conferrent, facileque intelligitur, cur virtutes et externa bona conjungantur, cur non ipsius virtutis notio subtiliter definiatur; neque hic quidem universa quaedam virtus singulas virtutes amplectens desideratur, sed jam in complurium virtutum enumeratione et expositione acquiescendum erit, dummodo uniuscujusque dignitas satis comprobata sit. Tertius, qui reperitur, est hic bonorum ordo:

1. Summum et unicum bonum est honestum, virtus autem idem atque honestum,

2. ceteris bonis externis, quae dicuntur, non indigemus ad beatitudinem; itaque nulla est eorum dignitas.

Quam externorum bonorum aestimationem cum sententiis, quae ceteris dispositionibus subsunt, pugnare manifestum est. Ceterum hoc decretum in hac libri parte minus accurate exponitur, neque quid sit honestum, quae sit virtutis notio, hic quidem discimus; quanti autem momenti sit haec sententia in tota disciplina, qua differat ab ea virtutum definitione, quam alius hujus libri locus exhibet, ex sapientis descriptione, quae altera libri parte continetur, satis perspicuum est.

Ceterum si virtutes absolute bona, vitia absolute mala esse contenditur, hoc decretum fortasse cum omnibus illis principiis sine ulla discrepantia conjungi postet, inde autem efficitur, vitia non voluntate sed ob errorem suscipi. Deinde voluptatem et sollicitudinem per se neutri harum partium ascribenda esse adnotatur, prout enim ex virtute aut ex vitio manent, ita fieri eas bona aut mala; quod decretum cum primo et altero illorum principiorum non pugnare videtur, fortasse autem cum tertio, quia in eum, qui virtute, id est bono perfecto imbutus sit, voluptas aut sollicitudo omnino non cadit. Tunc autem, si verba quaedam parum certa recte intelligimus, inter bona et mala media quaedam intermittuntur, non illa quidem omnino ἀδιάφορα, quorum cum boni aut mali notione nulla sit conjunctio, sed talia, quae medium inter bona et mala locum vere obtineant, per quae ab alteris ad altera transeundum sit. Certe primo et tertio principio haec sententia parum consentanea videtur, quia ex utroque nihil nisi aut bona aut mala repeti possunt, ita quidem, ut primum nonnullos mali gradus admittat, tertium uni bono unum tantum malum contraponat. Denique de amciitia et amore agitur, quia jam supra bonum et sapientem non sibi solum sed ceteris quoque natum esse expositum est, sed hic facile ea animadvertitur discrepantia, quod, quum verae amicitiae falsa quaedam et corrupta, hoc nomine indigna et amoris vocabulo nuncupanda opposita sit, statim tres discernuntur amores, quorum primus divinus nominatur. Qui enim amor, qualiscumque est, divinus esse potest, si omnis amor corruptum quoddam et vitiosum amicitiae genus est?

Jam trauseamus ad virtutum eorumque, quae eis adnectuntur, explicationem, ut, quae sit in his Apuleji constantia, clarius intelligatur. — Ac primum quidem illa definitio, qua virtus universe describitur, consideranda est. Haec autem de virtute praedicantur:

1. Virtus eum, qui ea imbutus sit, concordem et constantem reddit, dictis et factis secum et cum ceteris congruentem, ubi, quum cetera satis aperta sint, subobscura videntur verba et cum ceteris.

2. exsistit, quum ratio dominatur.

3. unimoda et perfecta est, id quod hoc modo intelligimus: talis est ejus notio, ut neque partitionem neque auctionem admittat.

4. solitudine contenta est; subaudiendum videtur ad beatam vitam. Fortasse novum quodammodo neque consequens est hoc decretum ex eis, quae supra de virtute praedicata sunt.

5. aequalitatem et similitudinem cum ea conjungi. Hic quidem id affertur, propter quod supra virtus constantes et concordes nos facere dicta est. Intelligitur omnino tunc demum hoc decretum, quum contrarium illud de vitiis reputamus, quae neque cum virtute neque inter se consentire dicuntur; ea autem videtur sententia: unaquaeque virtus et cum ceteris omnibus et secum ipsa consentit. Jam igitur hic attingitur, quod tunc diserte exprimitur:

6. virtutes esse medietates inter bina contraria vitia intercedentes.

Jam patet, decreta 1, 2, 3, 4 non ita inter se pugnare, neque inter se quidem decreta 5, 6, sed licet dubitare, num 5 et 6 cum 2 et 3 recte conjungi possint. Non enim videmus, quo modo, quum virtus in dominatione rationis, itaque vitium in ejus servitio consistat, bina oriantur vitia. Certe primae partis, qua ratio continetur, vitium nihil aliud esse potest quam ipsum illud ejus servitium; et si justitia tunc oritur, quum omnes partes munere suo funguntur, hujus virtutis contrarium is solus status esse potest, in quo nulla pars suo munere fungatur, ita ut facile intelligamus, sapientiae et justitiae — si ceteras virtutes nunc quidem omittimus — singula sola vitia esse opposita. Ac si jam ad explicationem universae hujus definitionis, ad virtutum vitiorumque enumerationem transimus, re vera deprehendimus:

1. sapientiae duo quidem vitia opposita esse, non tamen ita, ut eam circumcingant, sed ita, ut duabus sapientiae partibus,[1]) alterum alteri, contraponantur,

---

[1]) Haec ipsa autem divisio sic solum exsistere potest, quum una eademque virtus in diversis rebus et condicionibus consideratur. Quia enim virtus unimoda dicta est, certe in eadem animae parte duae virtutes per se sejunctae non sine discrepantia statui possunt.

2. justitiae nullum esse vitium oppositum. Quod quum ita sit, hoc ipso duo principia pugnantia in illa definitione copulata esse indici videtur.

Ceterum perobscura est descriptio imperfectae illius virtutis, quae dicitur. Non enim, quantum ex loco corrupto suspicari licet, in ipso vitae genere sed in causis efficientibus et condicionibus discrimen positum esse videatur; sed hoc ipsum discrimen quale sit, non potest intelligi. Fortasse solum ingenium ingenio cum disciplina conjuncto contraponitur.

Denique praeter illam justitiam, quae universae virtuti par sit, aliam cognoscimus singularem, quae jam in nulla animae parte collocari potest. Ceterum definitio ejus non ex animae natura sed ex hominum societate et commercio repetitur. Fortasse igitur conveniet cum altero illo principio, quod in virtutis descriptione immixtum esse vidimus. Sed tunc jam vitia duo circumcludentia requirenda erunt, quae non afferuntur; certe unum tantum vitium — ad alteram singularis illius justitiae partem id quidem spectans — commemoratur, falsam dico rhetoricam, civilitati oppositam.

Porro in vitiis describendis prorsus simili ratione atque in virtute definienda has notas conjunctas habemus:

1. vitia in servitute rationis consistunt,
2. inaequalitate et dissimilitudine laborant.

Jamque vidimus, haec decreta non sine quadam inconcinnitate conjungi posse, quae hic quidem apertius animad vertitur

1. in eis, quae de sapientia et prudentia jam supra exposita sunt,
2. deinde in hominum vitiosorum descriptione, quae altera hujus libri parte continetur. Non enim sequitur haec descriptio eam vitiorum enumerationem, quam hic legimus et quae alteri horum principiorum consentanea est, sed ita instituitur, ut priore solo illorum principiorum respecto morum vitiosorum gradus exponantur.

Ceterum notandum, alterius animae partis vitia ter commemorari neque eisdem ubique nominibus nuncupari.

Hic quidem indignationem et incommobilitatem habemus, sed in virtutis definitione audacia et timiditas afferuntur, in medietatum expositione hoc vitium timor nominatur.

Denique medietates ex utrisque, virtutibus vitiisque permixtae commemorantur. Ac primum quidem universum hoc decretum, esse quasdam medietates inter virtutes et vitia intercedentes parum convenire videtur cum illo de virtute decreto, consistere virtutem in rationis dominatione. Sic enim vitia quidem excogitari possunt per gradus ascendentia, nullo modo medietates, quae neque in virtutum neque in vitiorum numero habenda sint sed inter utraque intercedant. Quaelibet enim deminutio illius dominationis, quaelibet declinatio, quantulacunque est a recto totius animi statu, jam vitium erit, non alia res neque vitiis neque virtutibus adnumeranda. Fortasse autem in verbi controversia haesitamus. Illae enim medietates, quarum binae afferuntur, nullo modo ἀδιάφοροι videntur, neque laudis neque vituperationis participes, sed minora et leviora quaedam vitia, per quae tamquam per gradus a perfecta virtute ad plenum et cumulatum vitium descendatur. Sed ne sic quidem hoc placitum cum primo de virtutibus decreto consentire videtur. Medietates enim illae non habitus quidam totius animae sed singularum animae partium sunt neque inter universam virtutem vel justitiam et ejus contrarium sed inter singularum partium virtutes et vitia intercedunt, justitia autem illa et ejus contrarium hic quidem omnino non commemoratur.

Comparantibus deinde nobis medietates cum altera de virtutibus sententia vel cum vitiis ne hic quidem omnia satis congruere videntur. Sunt enim bina virtutes singulas circumcingentia vitia, ita ut, si binae inter virtutes et vitia intercedunt medietates, quaternae oriantur medietates, quarum binae inter virtutem et abundantiae vitium, binae inter virtutem et inopiae vitium intercedunt. Quaternae autem medietates non afferuntur.

Porro in ipsa medietatum expositione nonnulla prava vel parum perspicua videntur. In 1., ubi medietas inter scientiam veram et falsam intercedens afferenda erat, locus corruptus

est, ita ut quae sit medietas intelligi non possit; in 2. neque qua ratione inter se neque qua ab virtute differant medietates satis perspicimus (in virtutis enim loco pudicitia, in medietatum abstinentia et temperantia reperiuntur), id quod in 3. demum fortasse magis expeditum est. Denique neque ordo virtutum neque certa nomina servantur; habemus enim hoc quidem loco:

scientiam veram, pudicitiam, fortitudinem; comparandus autem locus de virtutibus, ubi afferuntur

sapientia, fortitudo, abstinentia.

Vitium fortitudini oppositum timor appellatur; ceterorum vitiorum certe non eadem nomina exhibentur atque in vitiorum descriptione.

§ 3.

Jam vidimus, ceterarum partium universam institutionem pendere ex argumento et divisione primae partis, qua causae et condiciones beatitudinis universe explicentur; nec mirum, quod, si prima pars diversarum doctrinarum conjunctione corrupta et foedata est, ceterae quoque partes simili vitio laborant. Ac primum quidem ea decretorum discrepantia, qua virtus nunc in recto totius animi habitu sita esse dicitur nunc vitio ita opponitur, ut medietas quaedam inter haec duo ἄκρα intercedat, in ceteris partibus sic repetitur idque valet, ut, quum tria illa genera et hominum et civitatum statuantur, tamen quattnor malae vel culpabiles et hominum et civitatum formae describantur.[1]) Quod quum ita sit, in secunda quidem parte tyrannus solus ut pessimus sapienti vel perfecte bono vere oppositus videtur. In his igitur solis omnia illa, quae in prima parte de virtute et de malitia praedicata sunt, requiri possunt. Ac si in tyranno prava mentis inconstantia, qua non solum a ceteris sed etiam a se ipso multis modis discrepet, ita ut nihil eorum, quae in ejus consilio sint, recte perficere possit, describitur, si

[1]) Jam supra commemoratum est, perverse ab Apulejo explicari, qua ratione hae quattuor formae exsistant. Patet enim, hunc alicujus libri, quem in manu habuit, locum ab Apulejo plane non perspectum esse, de qua re infra.

porro omni recto modo carere dicitur, ita ut semper aliquid ei desit ant abundet, si amor ejus et judicium plane corrupta praedicantur, si ea exponuntur, quae, quum neminem sponte malitiae se dedere certum sit, consequentia sunt, haec omnia cum primae partis de malitia decretis fere congruere videntur. Tunc si postulatur, ut sapiens et ingenio ceteris praestet et omni disciplina optime sit imbutus, si eum ex se solo pendere, fortem, justum esse, solum divitiis et ceteris bonis externis recte uti, solum esse verum amicum, amorem ejus esse sanctissimum discimus, haec non minus eis decretis consentanea videntur, quae in prima parte de virtute leguntur, quamquam alia in hac copiosa expositione minus ex prima parte consequuntur, alia plane pugnantia videntur. Ea imprimis — ut alia omittam — quae de duplici beatitudinis genere explicantur, in prima parte non reperiuntur.

Multo astrictior est medii status descriptio. Ut supra duo genera medietatum distincta sunt, sic hic hominum quoque medie moratorum duae formae, altera melior, altera deterior discerni videntur. Ceterum hic quoque — id quod commemorandum videtur — de amicitia et de amore agitur.

Breviter et parum accurate civitates quoque describuntur, ubi ea, quae in optimis postulantur, certe non omnia simpliciter ex decretis illis communibus manant. Medius ille status hic vix attingitur.

Caput III.

§ 1.

Duo sunt, quae mihi adhuc inventa et comperta habere videor, primum quidem consilium quoddam per totum opus retentum esse, id quod et ex divisionum constantia, de qua c. II § 1 egimus, et ex singulorum decretorum repetitione, quam c. II § 3 demonstravimus, perspici potest, quamquam nonnulla eorum, quae prima pars continet, in ceteris partibus non respiciuntur, alia adjunguntur, tunc totam hanc doctrinam per se illa inaequalitate et dissimilitudine laborare, quae vitiorum propriae esse dicuntur, id quod in c. III § 2 expositum est. Jam patet, hic ἐκλεκτικῶς complurium phi-

losophorum decreta quamvis inter se pugnautia conjuncta esse, quae decreta jam in c. II obiter significata in hoc quidem capite iterum consideranda sunt, ut quae sit eorum mera et incorrupta forma, a quonam auctore sint repetenda, melius intelligatur. Qua in opera quum ab editoribus parum sublevemur, qui neque omnia hac ratione perscrutentur neque, ubi quaestionem illam subeunt, semper recta exhibeant, jam plura nobis ipsis enuncleanda sunt, neque ullo modo confido, me hic omnia plana esse facturum, satisque habebo, nonnulla, quae antea neglecta sunt, recte intellexisse.

1. Finem esse philosophiae moralis, ut sciatur, qua ratione ad vitam beatam possit perveniri, decretum notissimum est, non solum Socratis et Platonis proprium, sed quod per totam fere antiquitatem dimanavit.

Trium bonorum partitionum prima Academicis, altera Peripateticis, tertia Stoicis debetur. Certe illa, qua bona per se et bona per perceptionem distinguuntur, ob ipsum divisionis principium Academicis imputanda; sed ab illis mentem in primis bonis habitam esse non accepimus, ita ut non liqueat, cui hoc placitum veterum certe Academicorum nullo modo proprium debeatur, utrum jam aliis philosophis probatum fuerit an ab ipso Apulejo, [1]) qui quidem in primo libro deum et mentem in primis substantiis vel essentiis memorat, ob suam levitatem et futilitatem hic effictum sit. Porro divina et humana bona discernuntur, quod ipsum fit secundum Academicorum exemplum. Congruit enim quum universa partitio tum humanorum bonorum enumeratio cum eis, quae Plato in Menone, legibus, aliis locis explicat. Ceterum ex Ethicis Nicomacheis [2]) hanc divisionem jam antiquitus inventam et acceptam fuisse discimus; bona enim ab antiquis bifariam divisa et altera externa altera ad animam et corpus pertinentia sejuncta esse;

---

[1]) In primo libro deus et mens formaeque rerum et anima primae substantiae vel essentiae esse dicuntur; neque recte Hildebrandius, id quod ex hoc quoque loco intelligitur, „mentem“ ejicere et „materiem“ substituere conatur.

[2]) Eth. Nicom. I, 8.

quam divisionem nostrae haud dissimilem esse facile intelligitur. Itaque hoc decretum totius fere antiquitatis commune fuisse videtur, quia Peripatetici quoque similem sententiam amplexi sunt atque divinorum humanorumque bonorum notiones ita distinxerunt, ut divina quidem omnibus prodesse, humana non omnibus neque semper utilitatem afferre sed usu demum aut bona aut mala fieri dicerentur,[1]) id quod ab Apulejo ipso de illis bonorum generibus praedicatur; neque Stoici ipsi, ei certe, qui a vetere severitate jam aliquem in modum desciverant, eam aspernati esse videantur. Vituperatur enim a Cicerone Herillus, qui duo faciat sejuncta ultima bonorum, quae conjungi debuerint,[2]) quo cum loco comparandus ille Diogenis, ubi *τέλος* et *ὑποτελίδα* ab Herillo distincta esse exponitur.[3]) — Virtutes autem primum quidem, libro ineunte, sic enumerantur, ut in Platonis legibus,[4]) ubi quartum obtinet locum fortitudo, deinde sequitur Apulejus in virtutum descriptione illam partitionem, quae in republica explicatur. — Altera porro divisio, bona sui, alterius, et sui et alterius causa expetenda discernens attingitur certe jam ab Aristotele in Eth. Nicom.,[5]) ubi beatitudo sui solius causa neque unquam alterius causa, virtus autem (etiam alia quaedam hic commemorantur) et sui et alterius causa expeti dicuntur. Quam divisionis formam etiam posterioribus ejus scholae acceptam fuisse ex Didymi ethicorum expositione[6]) patet; sed hic jam ipsa sentensia, quamquam forma retenta est, aliquantum immutatur; primum enim locum non *ἡ εὐδαιμονία* sed *ἡ ἡδονὴ καὶ ἀοχλησία* obtinet; jamque hic repe-

---

[1]) Didymi epitome apud Mullachium p. 94.

[2]) Fin. IV, 104.

[3]) Diog. L. VII, 165.

[4]) Plat. legg. 631 B.

[5]) Eth. Nicom. I, 5.: *ταύτην (τὴν εὐδαιμονίαν) γὰρ αἱρούμεθα ἀεὶ δὶ αὑτὴν καὶ οὐδέποτε δὶ ἄλλο, τιμὴν δὲ καὶ ἡδονὴν καὶ νοῦν καὶ πᾶσαν ἀρετὴν αἱρούμεθα μὲν καὶ δὶ αὑτά; . . . . αἱρούμεθα δὲ καὶ τῆς εὐδαιμονίας χάριν.*

[6]) Mullach p. 94: *τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι διαυθαίρετα μόνον, ὡς ἡδονὴν καὶ ἀοχλησίαν· τὰ δὲ ποιητικὰ μόνον, ὡς πλοῦτον· τὰ δὲ ποιητικὰ καὶ διαυθαίρετα, ὡς ἀρετήν, φίλους, ὑγίειαν.*

riuntur *ποιητικά* illa vel bona alterius causa expetenda. Stoicos denique ipsos hoc divisionis principium in suum usum convertisse videmus, quoniam illi quoque bona in *τελικά, ποιητικά, τελικά* et *ποιητικά* partiti sunt,[1]) ita quidem, ut in eorum numero, quae *τελικά* vel *δὶ αὑτὰ αἱρετά* vel ad ultimum pertinentia nominantur, actiones solae honestae haberentur.

Tertium denique de bonis decretum Stoicorum esse per se liquet.

Jam haesitamus, si origo ejus decreti, quo virtutes, medietates, vitia esse statuitur, quod quanti sit in universa doctrina nomenti, jam vidimus, exquirenda est. Fortasse frustra omnes veteres philosophos hujus decreti reperiendi causa percurremus; certe nusquam, quantum ego scio, hoc decretum ita diserte expressum et expositum extat. Reputandae tamen nonnullae sententiae, quae quidem cum illa omnino non congruant sed similitudine quadam cognatae videantur. A Peripateticis quibusdam[2]) *πάθη* ita distincta esse accepimus, ut tria genera, *ἀστεῖα, φαῦλα, μέσα* statuerentur et amor ipse eodem modo scinderetur. Porro jam ab Aristotele tria vitarum genera distincta esse notum est, *βίον ἀπολαυστικόν, πολιτικόν, θεωρητικόν*[3]), in quibus summum dignitatis locum obtinet *βίος θεωρητικός*, infimum *ἀπολαυστικός*, quae genuina Aristotelis sententia a posterioribus quibusdam Peripateticis, qui ad Stoicorum placita propius accessisse videntur, ita immutata est, ut *βίος κατ᾽ἀρετήν, κατὰ κακίαν, μέση ἕξις*[4]) distinguerentur, qnod decretum jam non multum differt ab illo, quod hic legitur, quamquam universa illa sententia in hoc libro uberius et accuratius explicatur et in singulis singularum animae partium virtutibus vitiisque describendis adhibetur.

---

[1]) Cic. de fin. III, 16, 55. Stob. 80, 100, 114.

[2]) Mullach p. 97.

[3]) Eth. Nicom. I, 3: *οἱ μὲν πολλοί . . . . . τὸν βίον ἀγαπῶσι τὸν ἀπολαυστικόν· τρεῖς γάρ εἰσι μάλιστα οἱ προὔχοντες, ὅ τε νῦν εἰρημένος καὶ ὁ πολιτικὸς καὶ τρίτος ὁ θεωρητικός* cf. Diog. Laert. V, 31.

[4]) Mullach p. 98.

Fortasse, ut jam in aliis quoque scholis similes sententias exquiramus, illi quoque status a Platone distincti, alter perfectae virtutis ex disciplina et scientia proveniens, alter magis recto usu et recta opinione nisus, minus perfectus et constans effecerunt, ut aliquis posteriorum singulare hoc decretum excogitaret.

Porro ipsa illa Stoicorum sententia, esse quandam προκοπήν id est vitae rationem perfectae bonitati appropinquantem hanc opinionem similitudine quadam attingit. Utut id est, certe suspicari licet, vel omnes vel unam aliquam harum sententiarum partitionem illam peperisse, cujus forma jam commendata erat illius Stoicorum de ἀδιαφόρῳ decreti similitudine. Deinde si quando humana bona id est ea, quae a Stoicis προηγμένα nominantur, de medio illo inter virtutes et vitia loco dejecta et ille animi status substitutus erat, jam fortasse ἀδιάφορα illa nunc quidem non jam interposita sed juxta posita simili modo partienda videbantur,[1]) ita ut et inter ea humana bona atque mala, quae Apulejus proprio hoc nomine nuncupat, et inter voluptatem, quae quidem hic secundum Academicorum et Peripateticorum sententiam affertur, atque sollicitudinem medietas interponeretur; tamque accepta erat illa divisio, ut et inter amicitiam et inimicitiam medium aliquod excogitaretur (hoc quidem eo demum loco commemoratur, quo de hominibus medie moratis agitur), et tres amores simili modo discernerentur.

Ceterum si re vera nihil simile in veteribus philosophis reperiri potest, fatendum erit, hoc maxime decretum ejus Academicorum sectae fuisse proprium, quorum doctrinam Apulejus secutus sit. Quae conjectura nescio an ob id ipsum veri similior videatur, quod decretum illud ita accurate pertractatum est, ut in tribus animae partibus binas habeamus medietates, quarum altera sit virtus non sincera, altera vitium non merum. Cui enim antiquiorum philosophorum accuratior illa medietatum descriptio tribuenda sit?

---

[1]) id quod eo facilius fieri poterat, quod ipsi Stoici inter προηγμένον et ἀποπροηγμένον alterum ἀδιάφορον proprie dictum interponebant.

Porro medietates illas, pudorem, ignaviam, abstinentiam, temperantiam reputantes jam satis incertas, obscuras, parum distinctas esse earum notiones deprehendemus et fortasse recte conjiciemus, Graeca quoque nomina, quae Apulejus hoc loco invenerit, non multo certiora et clariora fuisse. Quae quum ita sint, ob has quoque causas totum illud decretum in recentiore aliqua schola non ita ingeniose excogitatum esse videtur.

Vitia quomodo oriantur, secundum Platonis sententiam exponitur, deinde ea de abundantia et inopia constare, inaequalitate et dissimilitudine vel disparilitate et inconcinnitate laborare dicuntur. Quod decretum illo illustratur, cum virtute non solum aequalitatem sed etiam similitudinem conjungi. Sic autem haec verba mihi intelligenda videntur, ut inaequalitas idem valeat, quod apud Platonem *ἀναρμοστία.*[1]) Saepius enim a Platone *κακία* appellatur *ἀναρμοστία,* ut *ἀρετὴ ἁρμονία.* Consistit autem illa inaequalitas in animae quadam seditione, qua partes ejus non jam recte munere suo fungantur. Dissimilitudo autem idem siguificare videtur, quod abundantia et inopia, quae vitiis inhaerere dicuntur, quod decretum Aristoteli deberi patet, ita ut abundantia nihil aliud sit nisi Aristotelia illa *ὑπερβολή,* inopia autem componenda cum *ἐλλείψει.*[2]) Habemus igitur hoc loco duo decreta conjuncta, quorum alterum debetur Platoni, alterum Aristoteli, eademque ratione in singulis vitiis enumerandis sententiae horum philosophorum inter se permiscentur. Quum enim vitia sic enumerantur, ut bina habeamus in singulis animae partibus virtutem quandam circumsistentia, dispositionis quidem principium Platonis esse, sed vitii notionem ipsam et singula vitia secundum Aristotelem definiri patet;[3]) avaritia enim et luxuria cum *ἀσωτίᾳ* et *ἀνελευθερίᾳ* componendae videntur, indignatio autem et incommobilitas cum *ὀργιλότητι* et *ἀνοργησίᾳ,* quod vocabulum ab Apulejo ipso

---

[1]) Phaedo 93. Repl. 498 E. 554 E.

[2]) Eth. Nicomach. II, 8. VI, 15.

[3]) Eth. Nicom. II, 7, 4, 10.

Latino nomini ascriptum est. Sed alia quoque difficulta in hoc loco latitat. Si enim sapientia sola more Platonicos in prima animae parte posita esse dicta esset, jam ex Aristotelis ethica duo vitia hanc virtutem urgentia repeti non poterant, quia haec virtus ut *διανοητική* apud Aristotelem a ceteris omnino segregatur et *ἠθικαί* solae medietates esse dicuntur. Itaque, ut in hac quoque parte duo vitia efficerentur, virtus secundum Aristotelem dividenda erat in sapientiam et prudentiam[1]) (idem enim valere videntur haec vocabula, quod apud Aristotelem *σοφία* et *φρόνησις*) et suum cuique particulae vitium opponendum. Sic autem jam factum est, ut vitia illa non unam virtutem circumsisterent sed duabus virtutibus opposita essent, de qua difficultate jam supra egimus. Unde autem vitia illa, imperitia et fatuitas, deprompta sint, frustra quaeritur, nisi forte Stoici, quos ipsos primam illam virtutem in *σοφίαν καὶ φρόνησιν* vel sapientiam et prudentiam divisisse accepimus[2]), similem vitii contrarii partitionem excogitaverunt. Ceterum omnia illa vitia considerantes, jam intelligimus, non illa vitia ex Aristotelis ethica electa esse, quae illas virtutes, quae secundum Platonis sententiam in singulis animae partibus positae sunt, circumstant, quoniam inter *ὀργιλότητα* et *ἀοργησίαν* secundum Aristotelem *ἡ πραότης*, inter *ἀσωτίαν* et *ἀνελευθεριότητα ἡ ἐλευθεριότης* vel liberalitas, quo nomine ipse utitur Apulejus, sita est. Reperitur autem apud Aristotelem in virtutum numero et *ἡ ἀνδρεία* et *ἡ σωφροσύνη*, ita ut vitia illis opposita facile eligi potuerint. Stoicorum autem sententia, qui unicuique virtuti vitium quoddam oppositum esse putabant, virtutes antem secundum Platonem enumerabant[3]), non plane abhorret ab hoc decreto, eorumque fortasse exemplum commovit aliquem, ut primum quidem, id quod non negligendum videtur, unum singulis virtutibus vitium opponeret — indocibilitatem illam dico, audaciam, luxuriam —, quod tunc quidem Aristotelio more in duas

---

[1]) Eth. Nic. VI, 7, 3. seq.

[2]) Cic. off. I, 43, 153.

[3]) Diog. 92. Stob. II, 104.

particulas scinderetur. Quod si ita est, decreta Academicorum, Peripateticorum, Stoicorum hoc loco conjuncta habemus; sed iterum animadvertendum, secundae partis vitium hic non esse *δειλίαν*, quae a Stoicis exhibetur, sed audaciam.

5. Virtus qualis sit, quomodo nascatur, quae ex eo consequantur, secundum Platonis sententiam exponitur. Deinde id, quod Stoicorum proprium est, profertur, vitutem esse unimodam, quia bonum sit perfectum, solitudine contentum. Idem enim valet illud Stoicorum, *πάσας τὰς ἀρετὰς ἀχωρίστους εἶναι.*[1]) Tunc aequalitatem et similitudinem cum virtute conjungi, itaque virtutes medietates quasdam esse discimus, quod decretum cui debeatur, jam vidimus. Comparandum enim hoc decretum cum illo de vitiis exposito, de quo jam supra egimus. Ceterum exemplum illud, quod Apulejus affert, non congruit cum illo, quod in vitiorum descriptione legitur; hic enim virtutes secundum Platonem describuntur, itaque fortitudo commemoranda erat eaque vitia eligenda, quae hanc virtutem secundum Aristotelis ethicam circumcingunt. Postremo virtutes perfectae et imperfectae discernuntur, quae partitio infra, ubi quaeritur, utrum virtutes „docibiles“ sint necne, repetitur. Difficile est intelligere, quaenam ratio secundum Apuleji verba inter haec genera intercedat. Id solum patet, virtutes perfectas ex disciplina provenire, individuas et inseparabiles esse, imperfectas vel semiperfectas magis naturae beneficio et usu[2]) oriri et segregari posse. Ceterum perfectae et imperfectae virtutes inter se similes et cognatae esse videntur, quia et fortitudo et continentia aut perfecta aut imperfecta esse dicitur. Aliud decretum, quod de imperfectis virtutibus legitur, solis disciplinis eas tradi, ego quidem neque quid

---

[1]) Stob. Eclog. lib. II, c 7.

[2]) Iustitiam enim, quia ex tribus animae regionibus sparsa sit, nunc docibilem esse nunc usu et experientia provenire dicit, id quod fortasse ita intelligendum est, ut ea justitia, quae ex perfectis singulis virtutibus composita sit, disciplina, ea, quae in imperfectarum conjunctione consistat, ipsa usu tantum et experientia orta habeatur.

sibi velit neque unde desumptum sit, assequi possum, neque minus obscurum illud, virtutes imperfectas esse neque disciplinas neque omnino disciplinis alienas. Partitio autem illa manasse videtur primum quidem ex notissimo Platonis decreto, quod jam in Menone dialogo attingit[1]), pluribus in republica explicat, tum ex decreto Stoicorum Platonico illi haud dissimili[2]), quo ipso virtutes perfectae et imperfectae discernuntur. Convenit autem Stoicis cum Platone de perfectae virtutis notione, quam utrique in scientia positam esse putant; verum imperfecta virtus secundum Platonem primum quidem in innata quadam ingenii facultate, quae non secus atque ipsa virtus tripertita est[3]), deinde in usu, consuetudine, recta opinione consistit, Stoici autem imperfectas virtutes *δυνάμεις* appellant *ἀσκήσει* comparatas.[4]). Itaque illud Apuleji, quod imperfectas virtutes etiam beneficio naturae provenire dicit, Platoni deberi videtur, quod usu eas inniti dicit, a Stoicis fortasse mutuatus est, quia apud Platonem id potissimum inter illa virtutum genera intercedit, quod perfecta virtus ex scientia, imperfecta oritur ex opinione. Tertium, quod reperimus de imperfectis virtutibus decretum, iterum Platoni debetur, scilicet, omnino similes eas esse perfectis; Stoici enim in imperfectarum numero omnino dissimiles res afferunt ut animi sanitatem, integritatem, robur, pulcritudinem.[5]) —

In partitione virtutum sequitur Apulejus Academicos, sed primae partis virtus iterum in sapientiam et prudentiam, ut jam supra in vitiis describendis, dividitur, id quod more Peripateticorum et Stoicorum factum est, qui utrique *σοφίαν* et *φρόνησιν* discernebant. Definitur autem et sapientia et prudentia omnino secundum Stoicorum exemplum, qui sapientiam rerum divinarum atque humanarum scientiam intelligebant, prudentiam rerum expetendarum fugien-

---

[1]) Men. p. 98.

[2]) Stob. Eclog. l. II, c. 7.

[3]) Repl. V, 474 C., VI, 487 A.

[4]) Stob. Eclog. l. II, c. 7.

[5]) ibid.

darumque scientiam. Tali enim ratione a Cicerone hae notiones definiuntur.[1]) Alii autem Stoici prudentiam, quam vocant φρόνησιν, ἐπιστήμην ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων esse dicunt[2]), et pari ratione omnes virtutes definiunt, cui decreto simillimum videtur illud Apuleji, prudentiam esse scientiam intelligendorum bonorum et malorum et eorum, quae media dicuntur. Itaque ex hoc quoque loco conjicere licet, media illa, de quibus supra egimus, apud Apulejum locum οὐδετέρων vel ἀδιαφόρων obtinuisse. Porro in justitia definienda duae virtutes discernuntur, quarum altera universae virtuti par sit, altera quartum vulgatae divisionis locum obtineat. Jam supra exposuimus, hanc duorum justitiae generum distinctionem omnino discrepare cum universa virtutum definitione, quae Platoni debeatur. Divisio autem illa vulgata, quam dicit, fortasse ea est, quam Zeno aut Chrysippus ita instituit, ut quattuor virtutibus quattuor vitia opponerentur, in quorum ordine δικαιοσύνη et ἀδικία quartum habebant locum.[3]) Porro si haec justitia segregatur ab illa universae virtutis nomine digna, hujus quidem decreti iterum Aristoteles auctor videtur, qui alteram justitiam, quae sit ὅλη ἀρετή, alteram, quae sit ἐν μέρει ἀρετῆς, disjungat.[4]) Tum illa ἡ ἐν μέρει ἀρετῆς δικαιοσύνη iterum secundum Aristotelem dividitur, ita ut altera in commutatione, altera in distributione sita distinguatur. Patet enim genera illa, quae Apulejus describit, eadem esse atque ea, quae ab Aristole statuuntur, γένος διανεμητικόν et διορθωτικόν. Fortasse de industria apud Apulejum ordo horum generum commutatus est, ut alteri illa duarum rhetoricarum descriptio adnectatur, quae tota ex Gorgia Platonis dialogo desumpta est. Congruunt enim et universae notiones et partitiones optime cum eis, quae in dialogo illo explicantur.[5]) Habemus autem, ut alia jam omittam, apud Platonem hanc partitionem:

---

[1]) Cic. off. I, 43, 153.
[2]) Stob. 102.
[3]) Diog. 92. Stob. II, 104.
[4]) Eth. Nicom. V, 1—4.
[5]) Gorgias 463 B. 501 A.

δύο τέχναι

1. *ἐπὶ τῇ ψυχῇ-πολιτική*		2. *ἡ ἐπὶ σώματι*	
a. *νομοθετική*	b. *δικαιοσύνη*	a. *γυμναστική*	b. *ἰατρική*
a. *σοφιστική*	b. *ῥητορική*	a. *κομμωτική*	b. *ὀψοποιική*

κολακεία ἀλλ' οὐ τέχνη.

Qua cum partitione haec Apuleji comparanda est:

a. legalis status.	b. juridicialis.	a. exercitatio.	b. medicina.
a. professio juris blanda.	b. sophistica.	a. unguentaria.	b. coquina.

Jam patet, ceteris paribus hic sophisticam illum locum obtinere, quem apud Platonem habeat *ῥητορική*, eo autem loco, qui sit apud Platonem *σοφιστικῆς*, substitutam esse professionem juris blandam; neque latet, cur haec commutatio facta sit, qua nomen *ῥητορικῆς* ex partitione omnino ejiceretur. Apud Platonem enim nullo modo duae rhetoricae discernuntur; immo rhetorica vituperandum est artificium, quod *πολιτικῇ* vel parti ejus opponitur. Sed Apulejo, quum et id munus, quod a Platone *πολιτική* nominatur, et ejus contrarium *ῥητορικὴν* appellavisset, perversi illius status pars altera alio nomine perhibenda erat. Itaque hunc quidem locum sophisticae dedit, in sophisticae autem proprio loco blandam aliquam juris professionem posuit, quae qua ratione a sophistica discernenda sit neque ex ipso nomine neque ex eis, quae adjunguntur, intelligi potest.

6. Quae de voluptate et sollicitudine proferuntur, si id ipsum consideramus, quo disceptatur, utrum boni laudabilesque sint hi affectus necne, a Stoicis desumpta videntur; esse enim laudandos eos, qui sint honesti, vituperandos, quos natura ipsa aspernetur. At ne mitiores quidem Stoici voluptatem in bonorum numero afferre unquam ausi sunt, qui quidem affectus quosdam, quos vocant *εὐπαθείας*[1]), etiam in sapientem cadere confiterentur, sed *τὴν χαράν* et *εὔλογον ἔπαρσιν* contrariam esse *ἡδονῆς* contenderent. Itaque hic quoque duae sententiae cemmiscentur. Amicitia deinde

[1]) Diog. VII, 115.

fere secundum Stoicos definitur[1]), amor secundum Platonem et Stoicos, qui ipsi ne amores quidem sanctos a sapiente alienos esse voluerint.[2]) Id solum notandum, et in amicitia et in amoribus illam partiendi rationem, qua medium inter duo contraria inducatur, rursus adhiberi, quam rationem ipsis primis horum decretorum auctoribus non deberi jam ex eis, quae supra exposuimus, certum est.

§ 2.

1. Quattuor quae enumerantur culpabilium hominum genera, honoripetarum, abstemiorum, popularium, tyrannorum cum eis debent congruere, quae in Platonis republica accurate describuntur[3]). Sed quum Plato una cum deterioribus rerum publicarum formis hominum mores eis consentaneos explicet, hoc loco singulorum tantum animorum status considerantur. Habemus autem apud Platonem *φιλότιμον πολιτείαν*, *ὀλιγαρχίαν*, *δημοκρατίαν*, *τυραννίδα*, et cum *ὀλιγαρχίᾳ* componuntur homines *φειδωλοί*[4]), qui eundem locum obtinent, quem apud Apulejum abstemii, qui dicuntur. Fortasse pro hoc vocabulo aliud substituendum est, quod vim habet Graeco illi magis consentaneam. Porro apud Platonem singuli animorum status sic alius ex alio nasci dicuntur, ut *φιλότιμοι* existant ob ejus partis, in qua ira sit, praevalentiam, *φειδωλοί* fiant[5]), quum necessariae cupiditates solae expleantur[6]), ceterae animae partes ceteraeque cupiditates illis inserviant, populares vel homines *δημοκρατίᾳ* addicti, quum cupiditates non necessariae[7]) superiorem potentiam nactae sint, tyrannus denique, quum eae cupiditatum non necessariarum, quae sint *παράνομοι*, in animo toto dominentur. Quae omnia, apud Platonem quidem simplicissima et intellectu facillima mirum in modum apud Apulejum corrumpuntur et deformantur,

---

1) Stob. II, 184.
2) Stob. Serm. 6, 61. Cic. fin. III, 20, 68. Diog. VII, 129. Stob. II, 238.
3) Repl. l. 8.
4) Repl. 8, 554.
5) ibid.
6) *ἐπιθυμίαι ἀναγκαῖαι* vel *χρηματιστικαί.*
7) *μὴ ἀναγκαῖαι* vel *ἀναλωτικαί.*

ita ut pateat, quamvis multae mendae in hoc loco subsint, Apulejum omnino non intellexisse, quid is liber, quem ob oculos habuit, hic exhiberet. Ceterum commemorandum videtur, jam a Platone adnotatum esse, vitiosos status singulos circumcludi binis aliis, altero meliore altero pejore, *ἀριστοκρατίαν* autem et *τυραννίδα* esse status extremos. Fortasse enim hoc Platonis loco aliquis homo ad medietates illas excogitandas incitatus est. Quae de tyranno vel pessimo homine exponuntur, partim cum Platonis sententiis in republica et Lyside dialogo [1]) explicatis congruere videntur, partim de industria eis exaequata esse, quae in prima libri parte de vitiis praedicata sunt. Ceterum decretum illud, quo amorem ejus et formae judicium esse perversum contenditur, in Phaedro dialogo legitur. [2]) Quae sequuntur, decreta sunt notissima Platonis propria, ut malitiam non sponte grassari, et ea, quae ex hoc principio efficiuntur. [3]) Fortasse in dubitationem incidemus de illius decreti origine, quo vitiosissimos esse vita pellendos et morte sola tyranno quandam malorum libertatem afferri discimus, quia Plato pessimos post mortem gravissimis poenis affectum iri [4]) et alio loco [5]) homines *μὴ δυναμένους κοινωνεῖν ἤθους ἀνδρείου καὶ σώφρονος* interficiendos esse, sed civitatis non sui sausa dicit. Videtur autem totus hic locus, qui ipse nonnulla mira et inter se discrepantia exhibeat, magis cum eis decretis, quae in legibus, quam cum eis, quae in dialogis illis leguntur, congruere. Praescribitur autem in legibus, ut *ἰάσιμος* poena afficiatur, *ἀνίατος* morte. [6])

2. Sapientis ingenium, vita, mores ita pertractantur, ut plurima decretorum illorum Stoicis [7]) deberi facile intelligatur. Excipiendum tamen illud, philosophiam esse mortis affectum, quae sententia Platonis est propria; deinde vox

---

[1]) Lysis p. 214 C.
[2]) Phaedr. 239 C et. D.
[3]) Gorgias 478 seq. Repl. 590 C. D.
[4]) Gorg. 525 et 526.
[5]) Politic. 309 A.
[6]) Leges 941 D. 942 A.
[7]) Justus Lipsius manud. ad St. d.

illa, ἕπου θεῷ apud Pythagoreos legitur[1]), postremo more Peripateticorum duplex beatitudo statuitur, altera ex cogitatione, altera ex rebus gestis manans, utraque autem Stoicorum iterum more in virtute posita esse dicitur. Quae sequuntur de corporis cura et de rerum externarum usu, quodammodo inter Academicorum et Stoicorum sententias vacillare videntur, quia tum ad usum vitae communis earum rerum praesidiis opus esse, tum virtutem solam fortunatissimos posse facere neque ullis extrinsecus adminiculis indigere contenditur. Itaque hic qnoque inconstantia illa, de qua jam supra egimus, deprehenditur.

3. Civitatum descriptio partim secundum Platonis rem publicam partim secundum leges instituta est, scilicet ita, ut prima civitas, quae sit optima, secundum rem publicam, altera secundum leges, deteriores quattuor iterum secundum rempublicam pertractentur. Ceterum et in optima et in altera illa civitate describenda decreta singula quasi temere deprompta et composita videntur, neque demonstrare conatur Apulejus, quomodo haec decreta ex principali quadam de civitatum natura sententia consequantur. Nonnulla eis quoque, quae in Politico dialogo leguntur, cognata videntur. Quae Platonis loca, quum sint notissima, hic pluribus explicare jam omitto.

Caput IV.

Nunc quum jam placita singula recensuerimus singulorumque originem et primam formam enucleare studuerimus, restat, ut exquiratur, utrum universa illa disciplina, qualis extet in hoc Apuleji libro ex singulis illis decretis composita, in aliquo libro exposita reperiatur necne, vel, ut aliis verbis utar, aliqui liber vestigandus videtur, quem Apulejus ipse in scribendo ob oculos habuerit, ex quo tamqnam ex unico fonte disciplina illa ab Apulejo exhausta sit. Percensenda igitur philosophorum scripta, quae supersunt, ut fons ille, si qui adhuc restat, inveniatur et cum Apuleji libro comparetur. Neque de aliis philosophis hic quidem

---

[1]) Mullach. fragm. phil. p. 59.

cogitari potest, nisi de illis, ex quorum inventis ethica illa conglutinata sit, id est de Academicis, Peripateticis, Stoicis, fortasse etiam de Pythagoreis; itaque eorum fragmenta ethica percurrenda videntur, imprimis autem Academicorum, quorum scholae Apulejus se ipse addictum esse profiteatur.

Verum hic quidem totam hanc quaestionem paucissimis verbis absolvere licebit. Frustra enim omnes sectarum illarum reliquias pervolvemus; nullum reperietur fragmentum, nullus liber, qui talem exhibeat disciplinam, qualem apud Apulejum tractatam esse cognovimus. Neque majore opera alia absolvi potest quaestio, quae adhuc superesse videtur. Licet enim universa haec disciplina quodammodo unica, singularis sit, apud neminem reperiatur nisi apud Apulejum, tamen multa decretorum illorum jam ipsa per se orta videntur ex mira diversarum sententiarum mixtura, ita ut id quoque disceptandum sit, utrum singula illa decreta ita fere apud alium quoque extent, ut apud Apulejum, necne. Verisimilius fortasse videbitur, haud pauca posse reperiri, quae dogmata illa cognatione quadam attingant. Tamen Academicorum nescio an solus Alcinous, Apuleji fortasse aequalis, nonnulla in omnibus philosophiae partibus exhibeat, quae propius ad quaedam Apuleji placita accedant. Ex Peripateticorum scriptis hic afferenda videntur magna moralia, quae dicuntur, et parvum illud fragmentum, quod inscribitur περὶ ἀρετῶν, quorum scriptorum prius similes bonorum partitiones contineat, alterum similes virtutum vitiorumque descriptiones. Ex Stoicorum reliquiis fere nihil hic quidem memoratu dignum colligi potest; Pythagoreos novos, qui Academicorum et Peripateticorum sententias multis modis conjunctas in suum usum converterint, nonnulla perhibere similia necesse est; neque iterum mirandum, quod alia ab Apuleji placitis plane abhorrent. Quae quum ita sint, nullo modo effici licet, Apulejum in hoc libro suo solius consilio usum, suis viribus nisum esse, id quod et ob satis compertam ejus in philosophiae libris conscribendis consuetudinem et ob hujus libri formam et compositionem minime est probabile. Si enim recte judicat Prantlius, tertium hujus operis librum, qui περὶ ἑρμηνείας inscribitur, genuinum in-

fantem esse Apuleji, jam duo habemus scripta, quae ex Graecis versa esse constat. Nam librum, qui inscribitur de mundo, ex Graeco libro versum esse jam supra commemoravimus, et comparantibus nobis — id quod licet — Graecum illud scriptum cum Latino jam multa eorum vitiorûm, quibus et in illo et in nostro libro offendimur, ipsi demum Apuleji versioni deberi manifestum est, ea dico vitia, quae ex superflua verborum copia, ex obscura sententiarum expositione et conjunctione oriri necesse est. Ceterum illam quoque commentationem, quae est de deo Socratis, ex Graeco fonte repetitam esse, est veri simillimum, cum ea, quae hic proferuntur, plane congruant cum Timaei Locri, Plutarchi, Maximi Tyrii sententiis. Neque dubitari potest, quin Apulejus, si ipse illius ethicae et universum consilium et singula dogmata excogitavisset, et partes accuratius distincturus et sententias certius clariusque explanaturus fuerit. Id enim, quod ipse cogitando assecutus sis, melius planiusque explices, paene necesse est. Neque loci aliquot invenirentur, in quibus ipsum Apulejum, quid sibi exprimendum esset, omnino non intellexisse pateret, ut illi, qui sunt de perfecta et imperfecta virtute, de duabus rhetoricis, alii.

Quod quum ita sit, jam fatendum videtur, aliquod Academicorum scriptum, quorum decreta plurima in hoc libro extent, quorumque scholam ipse se secutum esse contendat, ab Apulejo vertendo expressum esse, fortasse ita tamen, ut potius summam totius libri excerpendo in suum usum converteret, quam ut omnia verbo tenus vertendo integra conservaret; ipsam autem excerpendi operam parum accurate et sollerter exsequeretur, id quod propter propriam libri nostri constitutionem maxime fit probabile. Incontinens enim illa diversorum placitorum, partitionum, definitionum enumeratio, quam saepius in prioribus capitibus notavimus, intelligi vix poterit, unde orta sit, nisi totum opus illa ratione factum esse judicaverimus. At fortasse jam Apulejus librum aliquem Graecum ejus modi ob oculos habuit, qui ipse ex alio excerptus singula decreta breviter et incontinenter enarraret — quod, quum disceptari neque possit neque oporteat, hic jam omitto.

Quaeretur autem fortasse, num ex Apuleji libro conjectura quadam assequi possimus, qualis fuerit ille liber, quicunque primus hanc ethicam continuerit. Quod quum disceptare arduum sit, id certe effici potest, librum illum illa dogmatum discrepantia, quae per totam disciplinam quasi dimanat, jam ipsum laborasse, multa tamen, quae apud Apulejum obscura vel inconcinna videntur, ut ea, quae de culparum origine, de duobus virtutum generibus exponuntur, alia, ab Apulejo demum eum in modum corrupta esse, porro diversas illas divisiones et descriptiones non sine aliqua copula aliam post aliam prolatas fuisse, verum vel ita explicatas, ut, quae esset earum inter se ratio, intelligeretur, vel ita, ut aliae comprobarentur et tenerentur, aliae tantum commemorarentur, non probabiles haberentur; denique totum opus magis perspicue institutum et divisionibus dispositum fuisse, ita ut et universi consilium et singularum partium argumentum atque ratio facilius cognosceretur.

His, quae ad libri illius formam atque habitum spectant, pauca tantum adjiciemus de ipsius disciplinae natura, ut ita dicam, et genere. Est autem illa disciplina — id quod quivis intelligat — inconcinna, ex diversis diversarum scholarum dogmatis conglutinata. Deinde si quaeritur, cur discrepantia illa non ab ipsis talis disciplinae conditoribus animadversa et aliquo modo imminuta et obtecta sit, id reputandum erit, singula decreta hic et in aliis ejus modi libris non ex suo fonte et origine sua id est ex principalibus sententiis repeti et conclusionum serie confirmari, quo fit, ut decreta singula ex diversis principiis repetita eamque ob causam ipsa diversa esse jam minus perspiciatur. Itaque is liber, quicunque erat, in recentiore Academicorum schola conscriptus esse videtur eoque tempore, quum jam homines ad honestam eruditionem celeri facilique compendio se duci posse arbitrabantur, id obliti, eum, qui plurimarum rerum vel sententiarum notitiam collegisset, qua quaeque via et ratione efficeretur et confirmaretur, nesciret, nullo modo veram eruditionem sibi comparasse, minime verum philosophum factum esse.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 146 123 6

Errata.

S. 8, Z. 7, l. nullo statt ullo.